



# FORMUŁY MODLITWY POWSZECHNEJ W JĘZYKU ŁACIŃSKIM

(Missale Romanum 2002, appendix V)

## IN MISSIS DEFUNCTORUM

### Sacerdos:

Deum Patrem omnipoténtem, qui Christum Fílium suum suscitávit a mórtuis,  
pro salúte vivórum atque mortuórum fidéliter invocémus.

### Intentiones:

- I. Ut pópulum christiánum in fide et unitáte stabílat, Dóminum deprecémur.
- II. Ut ab omni bellórum nequítia orbem éruat univérsum, Dóminum deprecémur.
- III. Ut frátribus qui carent ópere, victu vel tecto, se patrem dignétur osténdere, Dóminum deprecémur.
- IV. Ut huic defúncto N., qui olim per Baptísmum ætérnæ vitæ semen accépit, perpétuam velit societátem donáre sanctórum, Dóminum deprecémur.

**Vel:** Ut eum, qui manducávit Corpus Christi, panem vitæ ætérnæ, resúscitet in novíssimo die, Dóminum deprecémur.

**Vel pro presbytero:** Ut eum, qui in Ecclésia sacerdóti munus exércuit, fáciat cælestis partícipem liturgiæ, Dóminum deprecémur.

**Vel:** Ut animábus fratrum, propinquórum et benefactórum nostrórum mercédem labóris attríbuat, Dóminum deprecémur.

**Vel:** Ut omnes, qui dormiérunt in spe resurrectiōnis, in lúmine sui vultus accípiat, Dóminum deprecémur.

**Vel:** Ut fratres nostros, qui in afflictióne versántur, ádiuvet et propítius consolétur, Dóminum deprecémur.

**Vel:** Ut omnes, qui huc in fide et devotíone convenérunt, in gloriósum suum regnum congregáre dignétur, Dóminum deprecémur.

**Sacerdos:**

Animábus, quáesumus, Dómine, famulórum tuórum orátio proficiat supplicántium, ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fáciás esse partícipes. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.